



Dissertatio medica inauguralis sistens momenta quaedam, de surditate per puncturam membranae tympani curanda

<https://hdl.handle.net/1874/227266>

P.

DISSE^TRAT^IO MEDICA INAUGURALIS,

SISTENS

MOMENTA QUAEDAM, DE SURDITATE PER PUNCTURAM
MEMBRANAE TYMPANI CURANDA,

QUAM,

SUPREMO FAVENTE NUMINE,
EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JOH. THEOD. ROSSYN,

A. L. M. ET PHIL. DOCT. PHILOSOPHIAE, PHYSICAE ET METAPHYSICAE PROFESSORIS ORDINARI,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU ET
NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

PROGRADU DOCTORATUS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

LUCAS CORNELIS NIEUWENHUIS,
RHENO-TRAJECTINUS

DIE XII JUNII. MDCCCVII. H. L. Q. S.

TRAJECTI AD RHENUM,

*Ex Officinis OTTON. IOANN. VAN PADDENBURG,
ET GULIELMI VAN YZERWORST,*

ACADEMIAE TYPOGRAPHORUM.

ДЕСЯТЫЙ ИНДИК

ЛУЧШИЙ

ПОДАРОК АВТОРУ

ИЗДАНИЕ ПОДГОТОВЛЕНО

ИЗДАТЕЛЬСТВОМ

GERARDO NIEUWENHUIS,

PATRI OPTIMO,

VITAE SUAE CONDUCTORI MERITISSIMO, OMNI FILIALI
AMORE, ETIAM POST FATA, COLENDΟ.

VIRO DOCTISSIMO, EXPERTISSIMO,

THEODORO HENRICO KEETEL,
IN HAC URBE PRAXIN MEDICAM EXERCENTI,
PER AFFINITATEM AVUNCULO ET AMICO CARISSIMO,

VIRO DOCTISSIMO

CORNELIO DE VRIES,

IN HAC URBE QUONDAM IN SOCIETATE TELEIOBAPTIS-
TARUM VERBI DIVINI MINISTRO, COGNATO ET FAU-
TORI AMICISSIMO.

NEC

NEC NON

VIRIS CLARISSIMIS

MEDICINAE IN HAC ACADEMIA PROFESSORIBUS, PRAECEPTORIBUS, DE SE SUISQUE STUDIIS OPTIME MERITIS.

HOC SPECIMEN ACADEMICUM

D. D. D.

A U C T O R.

PROOE M I U M.

Quum jam per sex fere annos Studiis academicis in hac Academia operam dedisse, atque nunc iis finis inponendus et Laurea Doctoralis, mihi a nobilissima facultate Medica concessa, capessenda esset, animus fuit, vires meas, etsi tenues, in elaborando aliquo argumento medico experiri, ut laude dignae legi Academicae satisfacerem.

Incertus autem diu fui, quamnam potissimum ex permultis, quas exculta mihi Disciplina Medica exhibet, feligerem materiem, nec enim nimis tritam et saepius expositam recoquere volui, neque etiam talem, quae nimis difficilis viribusque Juvenilibus superior esset, aggredi ausus sum; arrisit itaque illud, quod in ipso speciminis titulo exposui, argumentum.

Novitas rei et magna fides quacum a clarissimis viris fuit proposita, commendabant scilicet, quam retractare volui, mate-



niam, et quaestio inter auctores orta de utilitate atque inutilitate
hujus curationis, quemadmodum et de honore primae inven-
tionis, et tandem consideratio, quantae necessitatis organum au-
ditus sit habendum hominibus, ut mutuam societatem colere,
atque vitæ jucunditatibus confortique gaudiis frui queant, me
impellerunt, ut accurate indagarem, an revera curatio ab hac
Methodo speranda sit.

Ut autem hujus operationis dignitatem atque utilitatem recte
demonstrem sequentem ordinem in hac disquisitione servandum
esse puravi.

Nempe in tria capita hoc specimen mihi dividendum esse vi-
sum fuit.

Capite 1. Exhibeo brevem, atque ad scopum meum accom-
modatam, Anatomicam organi auditus descriptionem.

Capite 2. Exponam causas surditatis earumque Diagnosin, at-
que sic via parabitur, ut

Capite 3. Agere possum, de curatione surditatis per punctu-
ram Membranae Tympani.

Lectorem autem ut hasce pagellas aequo animo perlegere et si
quae minus bene pertractata, aut non fatis absoluta; videantur, illud
jueni condonare velit rogo, exhibent enim non proiectae erudi-
tionis sed juvenilium conaminum specimen.

DIS:

8888888888888888

DISSE^TRAT^IO MEDICA

I N A U G U R A L I S.

CAPUT PRIMUM,

DESCRIPTIO BREVIS ANATOMICA ORGANI AUDITUS.

Hanc dissertationis partem, in qua auris humanae fabricam examinare debeo, brevissimis verbis absolvere conabor, quae etenim ab aliis, iisque praeclaris Anatomicis, amplio sermone descripta sunt, repetere nullius fore utilitatis puto.

Inter diversas autem organi auditus partes praesertim mihi hoc loco paulo plenius describendae erant membrana Tympani, atque tuba Eustachiana, reliquarum organi partium brevissima enumeratio sufficiet, minus enim directe ad praesentem scopum pertinent.

DISSE R T A T I O M E D I C A

Auris igitur dividitur in duas partes, nempe in aurem exteri-
nam atque internam, quae, interposita Membrana Tympani, a
se invicem separantur.

Externam aurem constituunt Auricula et meatus Auditorius.

Auricula obliquo situ capiti annexa, ut undas sonoras facile
excipiat et exceptas ad meatum Auditorium ducat, diversis praedicta
eminentiis, suos etiam habet musculos, qui, quamvis plerumque,
inepta auricularum ad caput alligatione, jam a tenerrima ae-
tate, officio suo impares reddantur, revera tamen ad movendam
et dirigendam hanc partem, ut sonos facilius excipere possit, a
Natura homini dati sunt.

Meatus auditorius, canalis a conchae fine originem dicens et
ad Membranam Tympani, quae illum oblique claudit, protractus,
pro parte cartilagineus, pro parte vero osceus, primum adscendens
deinde descendens et cum levi flexura horizontaliter decurrens (a)
multis scatet glandulis muciparis, quae glandulae succum flavum
oleo similem secernunt, qui mora abit in unguen flavum, saporis
amari in igne ardens, quod Cerumen nuncupatur, et non tantum
inservit, ad meatum auditorium ab ingressu insectorum, aliorum
que peregrinorum defendendum, sed et ad undas sonoras quo-
dam-

(a) Vid. Clariss. SÖMMERRING *Abbild. des menschlichen Hör-organes*
Frank. a. M. II 1806. Tab. IV. fig. 3. ubi hic canalis egregie deli-
neatur.

I N A U G U R A L I S.

3

dammodo obtundendas, ne nimia vi in sensilem tympani membranam ineiderent.

Hoc cerumen si induretur saepius obstructionibus atque surditati, uti ex sequentibus patebit, ansam dat.

Nunc consideranda venit organi auditus pars maxime composita, et artificiofissime confecta, Auris nempe interna, quae constat multis cavitatibus atque ossiculis mirifice inter se junctis.

Auris interna dividitur in Tympani cavitatem et Labyrinthum.

Tympanum a similitudine cum tympano bellico ita dictum, est cavitas inter os squamosum atque petrosum invenienda, ejus figura est rotunda utcunque plana ad utrumque finem, in fundo irregularis atque, uti omnia ossa, vestitur periostio, vasculis numerosissimis conspicuo; continet tria auditus ossicula, nempe Malleum, Incudem atque stapedem. Recentiores enim osteologos secutus tria tantum auditus ossicula numero, quandoquidem ossiculum quartum subrotundum tantummodo behendum est pro vera apophysi incudis, a quo plerumque non, nisi adhibita vi frangente, separari potest, (a) et cum quo, etiam in recens natis infantibus, semper coalitum invenit CL. CAMPERUS, (b) Continet musculos

(a) V. CL. BLUMENBACH, *Gesch. u Beschreib. der Knochen des menschlichen Körp.* 2te ausg. §. 56. pag. 155, 156.

(b) Vide *Dissert. de organo Auditus Phrysteris macrocephali*, inser-

los ad haec ossicula pertinentes, et praeter aperturam, qua tuba Eustachiana in eam hiat, in ejus fundo inveniuntur duo foramina, rotundum nempe atque ovale.

Altera pars est labyrinthus, cavitas in osse petroso sita atque ejus maximam partem occupans, in eo consideranda veniunt vestibulum, cochlea atque canales semicirculares.

Haec generalia de his partibus sufficient, transeamus nunc ad descriptionem duarum illarum partium quarum accuratior notitia ad praesentem nostrum scopum maximae est utilitatis; Membranae tympani nempe atque tubae Eustachianae.

Scilicet vidimus, externam atque internam aurem a se invicem separari interposita Membrana tympani, quae igitur tanquam objectum operationis, tam separatim quam respectu aliarum partium vicinarum, accuratam postulat descriptionem anatomicam atque Physiologicam.

Membrana ergo tympani, ad finem meatus auditorii oblique posita, ita ut inferior pars paulo magis exteriora versus, superior pars interiora versus, extendatur (*a*), dudum sicut cognita; apud

tam, in de Verhandelingen van de Hollandsche Maatsch. der Wetenschappen, Vol. IX. part. 3. pag. 209, 210.

(*a*) Obliquus ille tympani, ratione meatus auditorii, situs in pluribus mammalibus obtinet, quae eo fere acutius audint, quo membrana haec et magis obliqua est et hinc majorem superficiem undis aereis ob-

INAUGURALIS.

7

apud HIPPOCRATEM enim jam ejus mentionem factam invenimus (a).

In homine haec Membrana, ad finem meatus auditorii posita, figuram habet ovalem suborbicularem (b), ita tamen ut processum quasi emittere videatur in partem superiore annuli ossei in quo recipitur Membrana (c); Constat haec ex tribus membranis, nempe ex cute externa cum epidermide, ex tunica propria, per quam vascula et nervi decurrunt, quaeque ergo merito vasculo-nervea appellari potest, et ex intima tunica vel membrana, quae productio est periolei, quod cavum tympani investit. Secundum CL. HOMIUM, videtur etiam gaudere fibris muscularibus, quae fibrae in Elephantis Membrana Tympani, utpote hominis Membrana majori, clarius conspiciuntur, atque, radiorum ad instar, originem ducunt ab annulo osseo, usque ad insertionem manubrii mallei, atque sic in medio membranae tympani inseruntur. Haec in Elephante observatio occasionem CL. HOMIO dedit accuratius investigandi structuram ejus membranae in homine, quo facto, in illa etiam fibras musculares, ope Microscopii

de-

obseruit. Vid. CL. CUVIER *Lecons d'Anatom. Compar.* Tom. II. pag. 496.

(a) Vid. *Spurium de carnibus Libr. uit Vol. I. pag. 252*, Ed. Foës.

(b) Vid. CL. ALBINI, *Annotat. Academ. Libr. IV. Tab. I. fig. I.*

(c) Vid. HALLER, *Element. Physiol.* Tom. V. p. 200.

detexit, atque censuit, membranam tympani, semel a tensore suo tensam, se ipsam nunc vi hujus structurae exacte ad varios sonos accommodare (a).

Atque haec sunt, quae de ejus fabrica dicenda sunt; fuerunt inter antiquiores anatomicos, qui statuebant, foramen adesse in hac Membrana inter hos J. COLLE, HENRICUS GLASER et RIVINUS, qui scribit, se invenisse foramen ad latus posterius fere supremi manubrii Mallei, verum enim vero tale foramen intactam parva humani corporis membrana non diu latere potuisset, nec tamen a recentioribus Anatomicis inventum fuit; exempla autem hominum, qui spiritum per aures efflabant, atque pus et sanguinem per aures emittebant, probant quidem, in illis casibus foramen aut aperturam in Membrana tympani, adfuisse, nondum vero illud semper ad esse, et ad naturalem structuram pertinere.

Recipitur illa membrana in sulco annuli ossei, qui annulus in foetu proprium osculum est, quod facile a reliquis ossis petrosi partibus separatur, in universum est ovale atque sulco exsculptum, proiecta autem aetate cum osse petroso concrevit (b).

Con-

(a) Vid. *Dissert. de fabrica atque usu Membranae Tympani in Philosophical Transactions A. 1800 parte I. p. 1.* quae Belgice versa prostat in *de Leidsche Genees- Heel- en Vroed- en Scheikundige Verhandelingen door BAKE, Voijm. II. p. III.*

(b) Vid. ALBINI *Icones ossium foetus Tab. III. fig. 16 et 17.*

Conjungitur porro tympani Membrana cum manubrio Mallei, a quo introsum quodammodo trahitur, unde tunc excavatio aliqua in parte exteriore oritur, dum simul adest convexitas a parte interiore, ita ut tympani membrana conum referat lata basi ratione altitudinis praeditum, cuius apex interiora versus spectat. Manubrium mallei ultra centrum membranae extenditur, illamque ita fecat ut pars anterior angustior, posterior amplior sit (*a*); Recta autem hujus insertionis cognitio admodum necessaria est, ut bene instituamus puncturam Membranae, nec mallei manubrium tunc laedamus.

Usus hujus Membranae est, ut undas sonoras, per meatum auditorium advenientes, excipiat, atque cum interioribus organi auditus partibus acceperas vibrationes communicet, neque tamen, quae fuit multorum Physiologorum sententia, absolute necessaria est ad auditum constituendum, quod sequentibus probater argumentis.

1°. Dantur animalia quae hac membrana omnino carent et tamen bene audient, uti sunt pisces frigidi sanguinis.

2°. Prostant exempla hominum, recte audientium, quorum membrana tympani vel tota vel pro parte erat destructa; talia duo me-

mo-

(*a*) Vid. ALBINI, *Annotat. Academ. Libri IV. Tab. I. fig. II*

morabilia exempla narrat C. L. COOPERUS (*a*): tale Exemplum meipini me vidisse ante aliquot annos in juvene 16 aut 17 annorum, qui tabaci fumum atque spiritum ex ore, per tubam Eustachianam, ex auribus ambabus efflabat, et tamen satis bene, quamvis non tam distinete, quam alii sana Membrana praediti audiebat; ut alia similia Exempla nunc taceam. (*b*).

Aque haec omnia mihi satis probare videntur, membranam tympani, quamvis multum faciat ad sonos, accipiendos modificantos et tradendos tamen non absolute necessariam esse ad auditum constitendum.

Secunda pars, quae accuratam postulat tam Physiologicam quam Anatomicam descriptionem est tuba Eustachiana.

Incipit ille ductus in cavo tympani a parte ejus interiore et inferiore ante canalem caroticum, juxta canalem dimidiatum, quo musculus tensor tympani reconditur, procedit per partem petrofam ossis temporum; in initio ossea est tuba, mutatur dein in substantiam cartilagineam, sensimque mollior evadit, donec tandem

mem.

(*a*) Vid. *Dissert. de squalis destructionis Membrane tympani, in Philosophical Transactions A. 1800. Part. I. p. 151.* et hujus versionem in *de Genees- Heel-Verlos en Scheikundige Verhandelingen door BAKE* vol. II. p. 136.

(*b*) Vid. *HALLERI, Elementa Physiol. Tom. V. p. 203.*

membranacea in faucibus supra palatum molle juxta narium cavitatem pateat.

Initio, qua e tympano oritur, angustior sensim dilatatur et conicam figuram habet, ita ut ostium in faucibus patens amplius sit (a).

Interna superficies obcesa est multis cryptis muciparis, quae mucum secernunt, ut sic interna haec superficies continuo lubrica servetur et ab aeris injuriis defendatur.

Usus hujus tubae, quem nullum assignat Clar. BLUMENBACHIUS, haud ita difficulter determinatur. Primo quidem per hanc etiam viam undae sonorae ad interiorem organi partem ducuntur, quemadmodum constans observatio docet, ore aperto sonos longe facilius percipi, et confirmat defectus tubae in illis animalibus, quae, quemadmodum pisces, nullam habent membranam tympani. Deinde et per hanc tubam elater aëris in tympani cavitate semper praefensis cum elatere aeris externi in aequilibrio ponitur: ita ut, quando Membrana tympani, per undam sonoram intropressa, cavitatem tympani imminuat aëremque in ea contentum comprimat, is per tubam exeat, et

quan-

(a) Vid. Clar. ALBINI, *Tab. Muscuior hominis Tab. XI.*
fig. 29.

quando relaxatur membrana tympani, adeoque cavitas tympani ampliatur, per eandem viam ad aequilibrium necessarius aër redeat.

Atque haec de hac parte dicta sufficient, ut nunc ad secundum transeamus caput.





CAPUT SECUNDUM,

DE CAUSIS SURDITATIS EARUMQUE DI-
AGNOXI ET THERAPIA GENERALI.

Quum jam ex data praecedenti capite Anatomica et Physiologica descriptione vidimus, organum Auditus valde esse compositum, facile patet, illud organum multis etiam morbis, ex diversis causis oriundis, necessario esse obnoxium.

Secundum Clar. GAUBIUM quadruplici modo auditus vitiari potest, augmento nempe, abolitione, hebetatione ac depravatione (*a*), quandoquidem autem gravi auditus atque plenaria surditas non nisi gradu differant, hinc igitur commode auditus vitia ad tria reduci possunt, Auditum nempe nimis acutum, Surditatem atque Auditum depravatum.

Omnia haec Auditus vitia summi sunt momenti, majoris fere quam aliis sensus; Auditus enim sanus necessario requiritor ut

ho-

(a) Vid. *Inst. Patho.* § 701.^m

DISSE R TAT I O M E D I C A

homines in societate viventes, mutui colloqui gaudiis et necessitate frui possint: vitia itaque haec Medicorum attentionem maximo jure postulant.

Auditus acutus in primis observatur in morbis acutis, in his enim totum corpus magis sensile est et Auditus, majori hac sensititate, eo magis afficitur, quo Morbus fuerit vehementior.

Depravatus vero Auditus etiam in sanissimis contingere observatur hominibus, quando v. g. procelloso in vento aliquamdiu versati fuerunt in primis frigido, tunc facile sensus remanet tanquam venti susurrus adhuc audiretur. Oritur tamen etiam Auditus hic depravatus a causa interna in tympani Membrana, in osiculis auditus, in canalibus semicircularibus aut in cochlea sedem habentibus; minima etiam vascula, per internam organi partem decurrentia, et morbose agitata tale vitium efficere possunt, ut in febre.

Haec vero generalia de his duobus vitiis dicta sufficiant, ne via nimium aberrare videar, nam hic locus non est, plenam Auditus Pathologiam exponere, sed mihi tandemmodo agendum est de Surditate ejusque diversis causis, ut sic pateat, ad quamnam surditatis speciem tollendam Operatio, in titulo specimenis indicata, recte atque cum successu applicari possit.

Surditatem ergo dico vel plenariam auditus abolitionem, ita ut
neger

aeger nil amplius audire possit, vel talern abolitionem partialem, ut homo aliquid, quamvis non recte, audire queat.

Magnus datur et numerus et diversitas causarum, quae Auditum obtundere aptae sunt et admodum diversa harum sedes esse potest.

„ Plurimae nimirum partes sunt, et plures etiam singularum
„ conditiones, quae cum ad integratem hujus sensus faciant,
„ vitiari nequeunt quin functio impediatur: verba sunt Clar.
„ GAUBII (a).”

In harum causarum expositione hunc ordinem mihi sequendum proposui, ut, a levioribus incipiens, sensim ad graviores transeam, singularumque Diagnosin, quantum illud quidem necesarium videbitur, addam.

Primo itaque causas exponam, quae sedem suam habent in aere extenna.

Inter has statim et primo loco occurrit Auricula deficiens; haec enim, colligendis undis sonoris destinata, multum ad famum Auditum confert, unde facile intelligitur, deficiente Auricula, minorem undarum sonorarum copiam ad Auditus organum afferri, atque sic ipsum Auditum obtinendi debere; hu-

jns

(a) Vid. *Inst. Pathol.* § 703.

jus vitii Diagnosis facilis est, solo enim partium conspectu apparet.

Curari quidem hoc vitium [plane] non poterit, levabitur autem usu tijmpani arte facti, quod, initio meatus auditorii appositum, undas sonoras, Auriculae adinstar, excipit, et ad tympani Membranam defert.

Huc etiam pertinet Meatus auditorii angustia, quod vitium, facillime adspectu dignoscendum, difficillime vel omnino non curari potest.

Ad externas has causas, surditatem producentes, referenda praeterea est obstructio meatus auditorii, sive haec fiat a naturali cerumine, justo copiosius a suis glandulis secreto, aut morbose indurato, sive extranea a foris allata materia canalem obturet. Utrumque vicium prudenti exploratione non difficulter cognoscitur, curatur vero saepe satis facile, liquoribus emollientibus relaxantibus, tepide in meatum immisis et aliquamdiu retentis. Similis curatio instituenda erit, adjectis tamen leviter adstringentibus, quando glandulae, cerumen secernentes, volumine auctae, meatum angustiorem reddendo, auditum obtundunt. Membrana etiam tympani vel desicere vel alia ratione vitiari potest.

Membranae autem hujus defectus non, uti plurimorum et Clarissimorum Physiologorum fuit sententia, Auditum plane delet,
sed

sed tantum pro parte obtundit, quod plurimis non tantum ex vita communi exemplis, quae primo capite relata sunt, patet, sed etiam practicorum observationibus comprobatur: sic D. ASTLEIJ COOPER narrat casum juvenis, qui aërem ex ore per aures exprimere poterat, ita ut flamma candelae hoc spiritu in motum agitaretur, atque sibilo aér exiret; apparebat clare utriusque auris Membranam tympani esse destructam, atque aërem, per tubam Eustachianam in aurem delatum, sic deinde per Meatus auditorium efflari; hic autem juvenis, quamvis non aequa bene audiret, ac si sana esset praeditus membrana, tamen non perfecte surdus erat, et quamvis initio admodum difficulter audiret tamen auditus sensim redibat.

Videtur mihi, aërem, post destructam Membranam tympani, sufficiente tamen vi in stapedem posse agere, ut suos tremores sonoros cum illo communicare possit, atque in intimo organo talem effectum producere, ut perfecta sonorum perceptio inde sequatur.

Praeter hunc Membranae tympani defectum eadem aliis adhuc modis affici potest, atque sic auditui gravi vel plenariae surditati ansam dare.

Pertinet huc hujus Membranae relaxatio, quae auditum difficultem reddit, nam quando tonum suum amittit, non amplius

spta est, ad vibrationes necessarias excercendas, neque illas cum reliquo organo communicare potest.

Haec autem relaxatio facile locum habet in generali corporis habitu relaxato, atque viribus vitalibus torpentibus: remediiis huic laxitati oppositis corrigi debet.

Deinde Membranae hujus rigescientia, imo vero in osseam substantiam induratio, aliquando observatae fuerunt; Rigescientia relaxantibus et emollientibus quandoque tolli potest, ossificatio vero fere inmedicabilis est et plenariam surditatem producit. In hac tamen conditione membranae tympani, quemadmodum et quando illa nimium tensa aut et relaxata est, perforatio membranae utilis esse potest, quia perforata membrana, radii sonori, qui antea aut minus bene aut plane non ad aurem internam deviebant, nunc omnino ad illam penetrare possunt, atque sic auditus, quamvis minus bene, quam in statu fano, excerceri (a).

Si vero carne luxuriante erascerat Membrana id vitium, causticis prudenter adhibitis, forte curari potest. Atque haec de hujus membranae vitiis ad nostrum scopum dicta sufficient, transeamus nunc ad vitia auris internae.

Hase

(a) Vid. CL. HUFELAND, Journ. d. Prax. Heilk. Vol. 24
part. 3. p. 163.

Haec vero vitia valde composita esse posunt ideoque difficulter dignoscuntur, difficilius adhuc curantur; sic una cum membrana tympani saepius ossicula auditus vel omnia vel saltem aliqua deficiunt, uti in casu a Clar. COOPER O observato locum habebat, in hoc enim casu malleus cum stapede plane deērat, nec tamen surdus erat homo, indicio naturam semper operam dare, ut organorum defectum reparet, vel alias partes substituendo suppleat.

Porro ossiculorum auditus luxatio, caries, ankylosis, gravi auditui ansam dare posunt; hae vero causae non facile dignoscuntur, nam in cavo tympani sunt posita haec ossicula, atque hujus cavi apertura Membrana tympani obtegitur, igitur oculis minime apparere potest hoc vitium, saepe tamen ex praegressis exulcerationibus tale quid suspicari licet, vitium autem etiam cognosci possit, penitus tamen insanabile est.

Cavum deinde tympani repletum aliena materia, sanguine, pure, liquore seroso, pituita etc. aliquando surditatem producere potest: accidit illud saepe post lapsum ex alto vel post ictus graves in capite perpesos: Idem vitium etiam producunt infarctus cochleae, vestibuli et canalium semicircularium; sic aquila COTONII aliquando in materiam quasi caseosam mutata inventa fuit, quae igitur materia tremoribus aëris sonoris affici non potest, quale

exemplum narrat C. L. COOPER (*a*), surditas autem, ex omnibus his causis oriunda, omnem medelam necessario respuit.

Apparatus etiam nerveus, ad bene audiendum necesarius, organo inviolato, male affici potest; sic compressus potest esse nervus inde ab organo auditorio usque ad sensorium commune, vel potest esse destructus, marcidus, stupidus, ipsum cerebrum etiam Apoplexia, Epilepsia affectum esse potest (*b*).

Haec vero nervi auditorii vitia, quae difficillime dignoscuntur, et a vitiis organicis internae auris, quae observationem fugiunt, distinguuntur, si destructus est nervus, minime curari possunt, atque ergo surditas inde orta semper remanet; si vero tantum stupidus est nervus forte aliquando curatur remedii stimulantibus nervinis, atque inter haec summam laudem merentur Electricitatis atque Galvanismi actiones, quarum vis certe valde actuosa est in hujus nervi paralytica affectione (*c*).

Sur-

(*a*) Vide Observationes de effectibus destructionis membranae tympani in *de Leidsche Genees- Heel- Verlos en Scheikundige Verhandelingen*, Vol. II. pag. 162.

(*b*) Confer. C. DUBBIUS *Infl. Pathol.* §. 705.

(*c*) In hac surditatis causa sola, sed eximie juvare potest Electricitatis sive vulgaris sive Galvanicae stimulus. — Dolendum igitur est, utramque curationem, nimiis laudibus initio elatam, nunc rarius, quam par est, adhiberi.

Surditas ab Apoplexia vel Epilepsia originem ducens non nisi remediis, his morbis oppositis, curari potest, sic in Apoplectica surditate adhibenda sunt remedia praeципue Antiphlogistica atque a cerebro derivantia; cum in surditate ab Epilepsia orta ad hunc morbum adaptata remedia administranda sint: tunc autem, superatis his morbis, auditum cum sanitate universi corporis redire videmus.

Expositis breviter his surditatis causis illarumque medela dicendum restat de causa, ad surditatem producendam valde efficaci et ad nostrum scopum proxime pertinente, quae sedem suam habet in tuba Eustachiana.

Haec nempe tuba Eustachiana omnibus morbis canalium obnoxia est, nempe dilatationi totius canalis, dilationi ejus ostii, obstructionibus, obstipationibus, collapsu, contractioni et, quod omnium pessimum est, coailitu.

Duo priora vitia *Eustachianae* nempe et *Anastomosis* non adeo surditatem producere valent, quod facile patet, si cogitemus, tubam inservire emittendo aërem e cavo tympani, atque ei redditum ad idem illud cavitum concedendo; jam vero per tubae dilatationem aut Anastomosin via aëri liberior evadit, atque aëris facilius sic ex tympano exire atque ad illud redire potest.

Alia autem viae imminutae cavitatis auditui valde infesta

DISSERTATIO MEDICA

sunt, atque pro minore vel majore eorum gradu vel gravem tantum auditum, vel plenariam surditatem producunt.

De his igitur causis earumque diagnosis adhuc quaedam dicenda restant.

Atque primo notanda venit tubae Obstructio, quae vel gravem auditum, vel plenariam surditatem producere valet, nempe si tuba pro parte sit obstructa, ita tamen ut aliquem aërem adhuc admittere possit, tunc quidem auditus obtunditur, nec tamen plane deletur, si vero obstructio sit plenaria, ita ut ne minima aëris particula per tubam transire possit, tunc etiam plenaria orietur surditas.

Diversis autem ex causis oritur haec obstructio in tuba Eustachiana, quae causae distinguuntur secundum diversam materiem obtrudentem, sive fuerit haec Materies in tuba mortbose generata, sive a foris intrusa, sive fuerit materia purulenta, sive fuerit mucus ex glandulis muciparis in tuba praesentibus vel justo copiosus in tuba secretus, vel aliqua de causa. v. g. propter tenacitatem retentus.

Eodem modo quo Obstructio etiam Obstipatio auditum aut integrum aut pro parte delet, oriturque pariter a diversi; causis, nempe sive a tumore inflammatorio, sive a glandulis mucosis obstructis, sive a suppuratione et sic porro, quae omnes uti et Obstructionis causae, postquam de illarum prasentia constiterit, suis

re-

remedii propellendae sunt, quod sit in primis injectionibus diluentibus et levissime detergencibus in tubam factis, sive per narium cavitatem, uti commendavit Anglus Chirurgus J. WATHEN (*a*) sive per os, ut felici cum successu instituit Exp. G. TEN HAAF (*b*).

Porro comprimi potest tuba Eustachiana vel ejus osculum tumoribus Inflammatoriis, suppuratoriis vel steatomatoisis, scirrosis, Gangraenosis et sic porro, tandem claudi potest; compressio autem illa, tumoribus per remedia congrua curatis, cessat, atque una cum cessante auditus plane reddit.

Contractioni etiam obnoxia est tubae pars membranacea, qua nempe parietes tubae, insita sularum fibrarum vi contractili, ostium aut cavum suum coarctant, unde tunc surditas perfecta generatur.

Haec vero Contractio aut lente et paulatim accedit, et tunc auditus sensim sensimque deletur, donec tandem, tuba penitus clausa, surditas adsit perfecta; vel vehementi nisu subito se contrahit pars tubae membranacea, et subitanea surditas ori-
tur,

(*a*) Vid. *Philos. Transact.* 1755. vol. XLIX. part. I. pag. 213. et
inde *Uitgezogte verhandelingen Tom. IV.* pag. 130.

(*b*) Vid. *Verhandelingen van het Bataviaansch Genootschap te Rotterdam.*
vol. V. p. 216. seqq.

DISSERTATIO MEDICA

cur, ita ut homo uno momento recte audiat, sequenti vero plane surdus sit.

Gravissimum vero malum, quod in tuba adesse potest, est ejus coalitus seu concretio, quae locum habet in tubae cavo; vel, et id saepius obtinet, in ejus ostio; hacc etiam concretio diversis ex causis suam originem ducere potest, sic post Anginam Inflammatoriam, suppuratione solutam, saepius talis ostii tubae concretio observatur, sic faucium affectio Syphilitica talem producere potest ostii vel et canalis concretionem, atque sic surditas oritur (a).

Omnia vero hactenus commemorata tubae Eustachianae via, si talia fuerint, ut plenariam surditatem induixerint, atque haec, per indicatam in tubam injectionem, curari non potuerint, penitus incurabilia manere deberent, nisi communicatio aëris externi cum tympani cavitate aliquo modo restitui posset.

Hanc autem aëris communionem recentiores restituere docerunt per operationem; quae proprie objectum hujus speciminis constituit, per artificiosam scilicet Membranae tympani aperturam, ita ut aër nunc per hanc viam intrare et ad tympani cavitatem pervenire possit.

Hanc

(a) Vid. SWIETENII Comment. in Boerh. Aphor. 205. Tom. II.
pag. 666-668.

Hanc igitur operationem accuratius describere in ultimo capite pro virili conabor.

Antequam vero ad illam operationem deveniatur, necessarium est certo scire, praesentem surditatem derivandam esse a causa quardam, in tuba Eustachiana haerente, et aëris transitum per hanc partem impediente: tunc enim in hac causa surditatis levamen aut curatio ab indicata operatione sperari poterit.

Si aliae causae, cum hac satis facile confundendae, in primis nervi apparatus, qui ad auditum pertinet, aut destruc^{tio} aut insensilitas adfuerint, nihil certe ab illa sperari poterit, et tali in causa si instituatur, surditate post operationem nēc curata nec emendata, vitium facile ab hominibus ipsi operationi impunitabitur, quam ita in posterum in casibus, in quibus revera indicatur, instituendam recusabunt, quum tamen causa pravi successus tantummodo in ipso operatore, curationem illam in casu non suo instituente, quaerenda sit.

Adesse vero surditatis causam in tuba Eustachiana satis certo sequenti modo patebit. Primo quidem accuratissimum organi Auditus examen, quantum quidem illud inspicere licet, est instituendum atque in primis quoque membrana tympani, utrum integra illa et illaesa sit, est inspicienda. In hoc examine si sanum atque integrum deprehendatur organum, deinde debemus surdum jubere ut, ore naribusque clausis, aërem exspirare conetur, in quo ten-

DISSE R T A T I O M E D I C A

tamine, si pervia fuerit tuba, bombum in aure percipiet et membranam tympani extorsum quodammodo protrudi sentiet, si vero aëri in pervia fuerit tuba, neutrum illorum phaenomenorum observabitur, atque tunc jure concludi poterit, in hac parte mali causam haerere, illudque per operationem nunc describendam curatum iri (a): et confirmabitur, tubam obstructam et clausam esse, si praegressi fuerint morbi faucium, inflammationes puta, ulcera syphilitica aliaque, quae praesertim aperturam tubae, in faucibus hiantem, afficiunt, quorumque vestigia apud aegrotos saepe observat ur.

Nerveum autem apparatus sanum et integrum esse concludemus, si primo deficiat continuus in aure fusurus, quem tamquam symptoma laesi nervi auditorii indicat COOPERUS, si deinde surdus sonitum horologii, ad ossa cranii admoti, aut inter maxillas retenti audiat, quo scilicet in casu tremores sonori per ossa ad internam organi partem propagantur, et sic ad nervum auditorium perveniunt.

(a) Vid. Clar. J. OOSTERDYK SCHACHT *Instit. medic. Pract.*
Lib. III Cap. I § 18 et COOPERUS. l. l. p. 160.



CAPUT TERTIUM.

DE CURATIONE SURDITATIS PER PUNCTURAM
MEMBRANAE TYMPANI.

Jam igitur, indagatis causis surditatis earumque diagnosis cognita, praecipue vero illius surditatis, quae hic maxime in censum venit, quae nempe ex obstructione vel alia occlusione tubae Eustachianae oriuntur, agendum est de curatione surditatis ex hac causa oriundae, atque in primis de methodo, hunc in finem excogitata, quae ante paucos annos magnam celebritatis famam acquisivit, praecipue in ANGLIA atque GERMANIA, nempe de Perforatione Membranae tympani.

Scilicet Ao. 1797 Clar. H. M. L. Y. jam in preelectionibus, quas Brunsvici de morbis visus atque auditus habuit, non solum commendavit hanc perforationem, in surditate ex obstructione tubae Eustachianae oriunda, sed etiam coram auditoribus hanc operationem instituit in cane vivo, et dein etiam in cadaveribus hominum, idem fecit hieme anni 1799 et 1800. Hic itaque ante Clar. COOPERUM hanc operationem commendavit. CL. ASTLEY

COOPER demum Ao. 1801 suam dissertationem, saepius jam citatam, societati regiae Londinensi tradidit. Neque tamen viri hi clarissimi fuere primi, qui hujus operationis mentionem injecerunt, RIOLANUS enim atque CHESSELDEN jam quae siverant, an membranae tympani perforatio non foret Medicamentum ad curandas quasdam surditates, connatam scilicet aut ex vitiis Membranae tympani oriundam? in quibus autem nullam utilitatem praestare posse ex ante dictis sufficienter appetet.

Deinde HALLERUS filius ad patrem suum sequentia scribit, e quibus patere videtur ipsam operationem in hominibus etiam jam ante COOPERUM fuisse institutam, „ Est Lutetiae homo quidam ELI dictus, qui surditatem curare audet, dummodo malum non a paralysi nervi septimi paris oriatur. En vero ejus Methodus. Tympanum excindit et supposititum immittit. Fecit experimenta quaedam, quae satis bene ipsis ceserunt, sed operationem hanc multis doloribus comitari non negat. (a). Tandem et Doct. TRNKA DE KRZOWITZ in sua *Cophoseos et Barycoiae historia* etiam ejus mentionem injecit.

Methodus vero hanc puncturam instituendi sequens est.

Se-

(a) Vid. *Epist. ab erud. viris ad ALB. HALLER script. Vol. IV.*
P. 320, 321.

Secundum C. COOPERUM instrumentum, quo punctura instituitur, ex duabus constat partibus, nempe ex tubulo Argenteo, qui continet acum triquetram, cuius diameter minima est, et quae non ultra unam octavam pollicis partem extra cannulam protrudi debet, ne forte oppositus tympani paries laedatur. Est ergo hoc instrumentum perfecte simile illi quo paracenthesis in hydrope instituitur; quia vero apertura, tali acu facta, facile clauditur, C. H. HIMLY parari curavit instrumentum, quod habet quatuor latera excavata atque acuminata, ut major sic fieret destructio membranae, vel et etiam, loco talis quadrangularis instrumenti, construendum fecit instrumentum rotundum, laeve, intus cavum, cuius ope orbicularis pars e membrana tympani excisci posset (α), quali certe instrumento vulneris coalitus promptus multum impeditur. In apertura, COOPERIANO instrumento facta, labia vulneris, retracto instrumento, sese mutuo fere tangunt, atque sic facile per nisum formativum coalescunt et brevi post Apertura clausa est, atque homo iterum surdus factus ad Chirurgum sive Medicum qui operationem instituit reddit. Hoc certe incommodum minori gradu metuendum erit, si punctura instituta fuerit instrumento a C. H. HIMLY

com-

(α) Vid. *Alg'm, Konst en Letterbode* M. 1806. No. 45. p.
29.

commendato, per hoc enim instrumentum particula rotunda ex membrana excinditur, unde vulneris margines se invicem non tangentes, non ita facile coalescunt; attamen CL. HIMLY casum narrat, in quo, operatione descripto instrumento facta, tamen die undecimo iterum sanatum fuit vulnusculum (*a*).

Verum enim vero mihi hoc incommodum forsan facile tolli posse videtur, simplici immissione candelulae tenuioris vel cereoli, qui per factam in membrana tympani aperturam ita transmitti deberet, ut e. g. per unam decimam pollicis partem in cavitatem tympani prominenter, atque ad externam aurem ita figi, ut nullo modo ulterius in internam auris partem protrudi posset; cereolus in foramine deberet relinquи, donec margines vulnusculi cicatrice obducti essent, qui scopus intra breve tempus in tali tenui atque, minimis vasculis praedita, membrana facile obtinebitur.

Plurimum autem in instituenda hac operatione interest, ut recte cognoscamus locum membranae tympani, in quo punctura institui debet, nam minime manubrium mallei quod membranae tympani affigitur, et multo minus nervum Chordam tympani dictum laedere debemus, in utroque enim casu, praesertim posteriore, immediabilis surditas facile oriretur.

Ex

(*a*) Vid. *Algem. Konst en Letterbode* 1806 n. 49 p. 295.

Ex praegressis vero patet, manubrium mallei insertum esse in partem superiorem et medium membranae; quemadmodum et Chorda juxta superiorem hujus membranae partem decurrit, igitur facile patet, instrumentum non superiora versus esse dirigendum, sed aperturam utique faciendam esse in membranae hujus parte inferiore et quidem anteriore, quia, uti ex anatomicis patet, ibi majus spatum pro facienda apertura adest, quam in posteriore parte.

Oportet praeterea, ne perverse operationem instituamus, ut, quemadmodum in omnibus similibus operationibus chirurgicis, ita et hic, recte inspicere possimus locum perforandum, id est membranam Tympani, atque hoc valde difficile est; meatus enim auditorius, ut vidimus, incurvato quodammodo itinere ad Membranam decurrit, ita ut recta via membrana non conspicit poscit.

Praeterea in omnibus hominibus non ejusdem est amplitudinis et inquibusdam valde angustus, praeterquam quod etiam in plurimis hominibus cerumine aurium naturali, eoque non nullis in casibus valde indurato, est repletus: ut ergo recte inspiciatur membrana hoc modo procedendum est.

I^o. Oportet, meatum auditorium, bene a cerumina contento liberare, quod sit injiciendo ope siphonis aquam vel lac tepidum in meatum, vel etiam hunc in finem usui venire po-

DISSERTATIO MEDICA

test decoctum quoddam resolvens, quo meatus prompte eluantur, et peregrina materies evacuetur.

2º. Opus est, ut radii lucis vividioris in meatum ducantur, ita ut hi radii ad ipsam membranam pertingant, quod diverso modo fieri potest. Posset sic, secundum ARANTII consuetudinem in morbis narium, a MORGAGNIO (a) laudatam, aeger collocari in conclavi, ex quo, coelo sereno, omnes lucis radii excluduntur, atque pauci radii, per parvum foramen fenestrac clausae se insinuant, siveque via recta per meatum auditorium ad membranam perveniant. Idem praestari potest ope flammea lampadis vel candelae, cujus radios in meatum incidere facimus, atque haec Methodus, ut mihi videtur, in bene constituto meatu sufficit, atque a simplicitate commendari meretur.

Dantur tamen casus, in quibus nullo fere artificio membranam intueri possumus, si meatus ita sit incurvatus, ut nullo modo lucis radii ad membranam duci possint, qualem casum narrat CL. HIMLY (b). In tali casu valde difficile est operationem instituere; forte hic opem adferre posset instrumentum haud

ita

(a) Vid. *Epist. Anat. Med XIV. art. 13.*

(b) Vid. *Alg. Konst en Letterbode 1806 n. 49. p. 294.*

Ita pridem a Medico Francofurtensi PHIL. BOZZINI (a) excogitatum, quo lumen ad internas corporis humani partes ducitur, deinde reflectitur et sic partes illae, per reflexum illud lumen, distincte conspicuntur; quod si usui venire non posset, praestaret certe, operationem integrum non instituere, quam male instituendo aegro nocere; Forsitan etiam hic juvaret instrumentum perforatorium, ad doctum meatus auditorii, prudenter investigati, incurvatum, adhibere, quemadmodum Exp. P. C. C E L L I E Z (b). fecit, qui acu triquetra incurva, eaque satis crassa cum fructu usus fuit.

Deinde utique curandum est, ne punetura instituatur in Membrana morbosa vel Inflammatione affecta, sic enim primo per irritationem ab instrumento pungente vel lacerante, et dein per candelulam immisam, augeremus Inflammationem, et occasionem forte daremus, ut illa in suppurationem et etiam in Gangraenam abiret. Quando tali modo affecta est Membrana facile ulcus proserpit ad internam organi auditus partem, ibique cariem ossium producit, unde tunc Surditas inmedicabilis oritur.

De-

(a) Vid. PHIL. BOZZINI *Der Lichileiter oder Bechreibung einer einfachen Vorrichtung und ihrer Anwendung, zur Erleuchtung innerer Höhlen und Zwischenräume des animalischen Körpers.* Weimar 1807.

(b) Vide *Journal de Medic. Chirurg. Pharmac. etc. an XIII Tom IX p. 202-204.*

Denique sit aliquando, ut membrana tympani obtegatur alia membrana praeternaturali. Hoc si locum habeat, neque illud vitium ante operationem detegatur, sub ipsa operatione pertundetur spuria haec membrana tympani, absque ut surdus inde aliquot emolumenti percipiat, illaesa nempe et integra manebit vera tympani Membrana. Factum hoc fuit in casu ab Exp. J. P. MAUNOIR (*a*) descripto, in quo in altera aure auditus demum redibat, postquam membrana illa tympani spuria parva forcipe erat sublata, et dein vera tympani membrana acu triquetra perforata.

Caeterum haec operatio se omnibus commendat simplicitate sua, et quia nullum fere dolorem excitat: si bene instituat operatio, etiam paucae tantum sanguinis guttulae effluunt, ita ut testantibus COOPERO atque HUNOLDIO, qui eandam saepius instituerunt, aegri post puncturam in una aure factam statim alterius auris membranae perforationem peterent. Sin vero auris et membrana tympani antea remediis irritantibus aut stimulantibus, in meatum auditorium aliqua de causa immisis, fuerint irritatae tunc operatio dolorem excitare potest; in tali ergo casu melius esfer operationem non instituere, sed potius differre in aliud tempus.

Be-

(a). Vid. *Journ de Medic. Chir. Pharm. etc.* an XII tom IX p. 159.

Bene sic et congruo in casu instituta Operatio optato successu non destituetur. Docent illud plures cum fractu faciae hujusmodi operationes, quas in Anglia instituit CL. COOPER saepius laudatus; in Germania instituerunt CL. HIMLY, HUNOLD (a) atque MICHAELIS; in Gallia Exp. MAUNOIR et CELLIEZ; in nostra tandem Patria Exp. VAN WY (b), a quo descriptionem operationum a se institutarum, suis observationibus locupletatam, propediem exspectamus.

Neque aliquod grave incommodum operationem indicatam aut comitari aut sequi hactenus visum fuit. Secura tantummodo fuit sensilitas nimis statim post factam operationem, ita ut sonos leves difficilime perferrent aegri, quod malum plerumque comitatur auditus quodammodo depravatus, ita ut alii soni nimium alii contra haud satis percipiantur. Tollitur tamen utrumque vitium sponte et facile, quando organum insolito soni stimulo asuefactum fuit, et diversis sonis se se usu accommodare didicit. Ceterum hoc malum et COOPERUS et MAUNOIR observaverunt.

Gravius incommodum est, si facta in Membrana tympani

aper-

(a) Vid. HUFFLANDS Journ. d. Pract. Heilk. XXIV B. 2 St.
pag. 172. seqq.

(b) Vid. Haarlemsche Courant Ao. 1806 18 Nov. et 27 Dec.

apertura iterum concrescat, denuo enim tunc aëri via ad tympani cavitatem praeccluditur, et pristina Surditas reddit.

Incommodum illud omnino metuendum esse et VALSALVAE^(b) in canibus instituta experimenta et C. L. H. M. L. y observationes docuerunt: quomodo per ipsam instituenda operationis Methodum praecaveatur antea dixi. Si vel sic tamen oriretur, nova perforatione tolli deberet et secunda aut tertia instituta operatio non gravioribus incommodis quam prima laboraret.

Atque hic igitur huic Dissertationi finem inponam; Iubenter ipse operationem in cadavere Humano instituisse, hoc autem acquirendi nunc defuit occasio, defuit etiam tempus ad experimenta instituenda necessarium. Probatissimos igitur Auctores fecutus operationis causas et Methodum instituendi descripsi, sperans ut data occasione illam in surdis instituere et illius eventum publici juris facere aliquando possim.

(a) Vid. VALSALVA de *Aure Humana* Cap. V. §. 5 p. 77. seqq.
ed. Lugd. Bat. 1735.

T A N T U M.

THE-

T H E S E S.

AD DISCEPTANDUM ADNEXAE.

IV.

*Sanguis in expiratione non aequa facile per pulmones ducitur,
quam in inspiratione.*

II.

Tela cellulosa minus bene mucosa dicitur.

III.

*Membrana tympani non ita necessario ad auditum requiritur,
ut, hac destructa, statim surditas sequi debeat.*

IV.

*Omnia signa graviditatis ante quintum mensem sunt fal-
lacia.*

V.

*Si parturientibus uteri haemorrhagia periculosa accidat, op-
timum auxilium in absolvendo partu quaderendum est.*

E 3

VI.

T H E S E S.

VL

Sanguis inflammatorius non inspisatus, sed eo magis aeneatus est, quo majorem ad concrescendum vim acquisivit.

VII.

Sensus frigoris in febrium stadio primo dependet a perversa aegri sensatione, revera enim calor in hoc stadio auctus est.

VIII.

In Pleuride et Peripneumonia vere inflammatoria semper et statim ad venae sectionem est recurendum.

IX.

In febribus Malignis vesicatoria scopo excitandi exhibita non diu sunt relinquenda, sed continuo mutanda.

X.

Causa febris hecticae in Phthisi pulmonali derivanda est a resorptione puris in systema Lymphaticum.

XI.

Prognosis iste Phthisi pulmonali, ubi diarrhoea accedit, imfausta est.

XII.

Salivatio in variolis confluentibus est molimen Naturae criticum.

XIII.

T H E S E S

XIII.

Variolarum vaccinarum infusione infusio Variolarum Humana-
rum praferendam esse puto, et ab hac infusione vacca folia va-
riolarum extirpationem sperare licet.

XIV.

Causa proxima Nephritidis Pituitosae potius in copiosiori plu-
iae in ipsis organis Uropeiticis secrezione videtur esse ponenda,
quam in muco ex universo corpore ad has partes affluente.

XV.

Paracenthesis in Hydrope acire, quamvis morbi effectum, non
causam, tollat, non raro tamen ad plenam praedisponit sanitatem.

XVI.

Assentior HIPPOCRATI dum Secti IV aphor. & dicto Pur-
gandum aestate quidem magis ventres superiores, Hieme vero in-
feriores.

XVII.

Venena et Medicamenta non nisi actionis gradus differunt.

XVIII.

Febris licet dici posse salutare Naturae conamen, propriam sa-
ludem propugnans, non semper tamen habet effectus Salutares.

XIX.

In Pulvere Ipecacuanhar cum Opio Sulphas Potassae non ad
augendam mixti dosin, sed ad Augendam virtutem relvantem
et diaphoreticam additus videtur.

XXX.

T H E S E S.

XX.

Vis radicis Ipecacuanhae, qua opii virtutem narcoticam frangit, diaphoreticam contra auget, non solum dependet ab ejus vi relaxante, quae Emeicis Antimonialibus etiam communis est, sed a propria quadam hujus radicis in opium actione.

XXI.

In Relationibus Medico-forensibus, judici tantum indicandum est, utrum et quatenus laesio, de qua quaeritur, tanquam mortis secutae causa habenda sit.

XXII.

Docimasia pulmonum Hydrostatica, debitis cum cautelis instituta, certo sens docet, utrum infans vivus, an vero moriuss in lucem editus fuerit.

XXIII.

Partus Serotini, quamvis rarissime accidant, adeoque non nisi summis cum cautelis admitti debeant, penitus tamen negandi non sunt.

XXIV.

Ex mortuorum corporibus, quibus medicamenta, instrumenta, vestimenta, &c. inveniuntur, non solum ex mortuorum corporibus, sed ex animalibus, &c. exponit.

A A N
MIJNEN VRIEND,

L. C. NIEUWENHUIS.

BIJ ZIJNE BEVORDERING TOT GENEESHEER
OP DEN 12 VAN ZOMERMAAND 1807.

Schoon Dichtmaat nooit mijn brein kon boejen,
En nooit mijn lier een toontje gaf;
De vriendschap, die mijn borst doet gloeijen,
Zing' nu, hoe weinig z'ook vermag!
'k Waag U mijn offer op te dragen,
Hoe schamel ook; geen wil ontbreekt;
Daar geen belang hier op komt dagen
En 't hart de zuivre meening spreekt.

Ja: —

Ja — zou ik niet in zanggloed blaken?
Daar gij het wit, zoolang gemikt,
Thans treft, en gij het doel moogt raken,
Waarvan gij nooit werd afgeschrikt.
Op 't achtbaar spoor der Wetenschappen,
Waar d' Artsenijkunst U verbeidt,
Rigt g'onvermoeid uw schoonste stappen,
Word gij haar tempel ingeleid.
De menschheid geeft U daar haar wetten;
Gij juicht, door dit gevoel verrukt,
Wen z'op uw kruin de kroon zal zetten
En U als Arts de handen drukt.
Smaak en behoud het zielsgenoegen,
Dat vlijt en kunde en kunst-min geeft;
Leer onvermoeid en rustloos ploegen,
Waar g'ooit uit pligt u heen begeeft.
Schenk vriend aan vriend, door mededoogen!
Dat deeze deugd uw leidsvrouw zij!
Red Gade en Kroost door kunstvermogen

Dan

Dan glocit de Heilzon aan uw zij;
Dan ziet g'U eens den Lauwer schenken,
Door Menschenmin en Deugd verdient:
Dit wenscht, die aan U blijft gedenken,
Uw waare, trouwe oprechte Vriend.

W. G. J. B.
Med. Stud.



De la vaste et des
villes de l'Asie
et d'Afrique
et d'Europe
et d'Amérique